



76  
Disputatio XIII.  
DE MALIS ET HY-  
POCRITIS ECCLE-  
SIÆ ADMIXTIS.

EX OCTAVO ARTICULO CON-  
fessionis Augustanæ.

*Cuius subiectas Positiones,*

CVM DIVINÆ GRATIÆ ASPIRA-  
TIONE, PRAESIDE ÆGIDIO HUNNIO, SS.

Theologiæ Doctore & Professore, in Collegio

Disputationum Theologicarum 7. Kal.

Februa. tueri conabitur,

M. DANIEL CRAMER VS



W I T E B E R G A E,

Excudebat Vidua Matthæi

*VVelaci, Anno M. D. XCIIII.*



DE WASSER ET FLODORIS  
RECEPTE

DE WASSER ET FLODORIS  
RECEPTE

DE WASSER ET FLODORIS  
RECEPTE

EXPOSITIO ACTIO CON

DE WASSER ET FLODORIS  
RECEPTE

DE WASSER ET FLODORIS  
RECEPTE

DE WASSER ET FLODORIS  
RECEPTE

DE WASSER ET FLODORIS  
RECEPTE

DE WASSER ET FLODORIS  
RECEPTE

DE WASSER ET FLODORIS  
RECEPTE

DE WASSER ET FLODORIS  
RECEPTE

DE WASSER ET FLODORIS  
RECEPTE

DE WASSER ET FLODORIS  
RECEPTE

DE WASSER ET FLODORIS  
RECEPTE

DE WASSER ET FLODORIS  
RECEPTE

DE WASSER ET FLODORIS  
RECEPTE

DE WASSER ET FLODORIS  
RECEPTE

DE WASSER ET FLODORIS  
RECEPTE

DE WASSER ET FLODORIS  
RECEPTE

DE WASSER ET FLODORIS  
RECEPTE

DE WASSER ET FLODORIS  
RECEPTE

DE WASSER ET FLODORIS  
RECEPTE





# DE MALIS ET HYPOCRITIS ECCLESIAE ADMIXTIS,

## Positio prima,



*Reclara & illustria sunt elogia, quibus passim S. Scriptura Cœtum Vocatorum per verbum & Sacramenta in his terris collectum ornat, nominans Ecclesiam, sponsam Filij Dei, Domum spiritualem, Sacerdotium sanctum, 1. Petri 2. Domum Dei viventis, 1. Tim. 3. Concilium Sanctorum, Psal. 88. Tabernaculum, quod Deus sanctificet, Psalm. 45. Genus electum, 1. Pet. 2. Populum acceptabilem, Tit. 2. Ut & hinc Augustana Confessio ex dictamine Symboli Apostolici Ecclesiam SANCTAM precedenti Articulo appellauit: ne igitur in erroneum sensum trahantur hi tituli, vberius id ipsum hoc Articulo declarandum fuit.*

2. *Vnde verò Sanctitas hac, quæ Ecclesie in his terris tribuitur, proueniat, superiori Disputatione attigimus, nimirum ex imputatâ sanctitate obedientie Christi, qui nobis factus est à Deo Patre sanctificatio, 1. Cor. 1. Sanctificans Ecclesiam suam & emundans lauacro Aqua per Verbum, Ephes. 5. imò lauans eam sanguine suo & spiritu suo sanctificans illam, 1. Cor. 6.*

*Apo. 7.*

3. *Nec ob id tamen promiscuè omnes & singuli ex æquo, qui in illo Vocatorum cœtu sunt, illam sanctitatem participant: cum enim Sanctitas obedientie Christi non nisi imputatione nobis obtingat, Imputatio verò fiat non nisi per Fidem, Rom. 4. cumq; (quoad inchoatam sanctitatem) Spiritu Dei sanctificentur non nisi qui credunt, & hoc Spiritu aguntur, manifestum est, eos omnes, qui Fidem &*

*A 2*

*Spiritu*





Spiritum sanctum non habent, ut ut sint in Ecclesia cætu,  
SANTOS dicendos non esse.

4. Multi verò sunt in Ecclesia (quod ex fructibus di-  
gnoscitur) qui Fidem non habent, quorum ferè duplex  
Genus est: quidam enim sunt Hypocrite, qui consentiunt  
quidem de Doctrina, aut potius consentire se simulant, &  
in exteriori conuersatione gerunt se ita, ut speciem qui-  
dem pietatis habeant, virtutem autem eius abnegent, 2.  
Tim. 3. qui in facie quidem gloriantur, non verò in Corde,  
2. Cor. 5. Quidam verò palam Mali sunt, & in peccatis  
contra conscientiam perseuerant, aut si maximè nonnun-  
quam pœnitentiã scelerum ducuntur, tamen relabuntur in  
pristinam impietatem, ut canis ad vomitum, & sus lota ad  
volutabrum cani reuertitur, 2. Pet. 2.

5. Quem Ecclesie statum Christus nobis multis Para-  
bolis graphicè depinxit, ut de quadruplici Semine, Tritico  
& zizanijs, Sagenã in mare missa, Bonos & Malos inclu-  
denie, Matth. 13. Item Iohannes Baptista per similitudi-  
nem acerui Triticei à paleis nondum ventilabro purgati,  
Matth. 3, Luc. 3.

6. Sanctitatis ergo titulus ad illos extendendus non est,  
qui nec per Fidem induerunt Christum sanctum sancto-  
rum, nec aguntur Spiritu Christi.

7. Hinc cum sacre literæ totum cœtum appellant San-  
ctum, idè fiet, quia cœtus Vocatorum sit officina, & (ut  
Esaias cap. 31. loquitur) Caminus sanctificationis Spiritus  
sancti, ut quod non nisi in hoc cœtu Vocatorum sanctifica-  
re velit Ecclesiam, & mundare eam lauacro aque per Ver-  
bum, & exhibere ipsam sibi gloriosam, non habentem ma-  
culam aut rugam, aut aliquid huiusmodi, Ephes. 5.

8. Deinde quia S. Sanctus respicit ad eos, qui sub illo  
cœtu verè Sancti sunt, à quibus ipse externus Ecclesia cœ-  
tus denominatur Sanctus, per Synecdochen Scriptura val-  
de frequentem.

9. Vets



9. Veluti aceruus triticeus, qui ventilabro à paleis nondum est mundatus, dicitur certè aceruus triticeus, factà denominatione non à paleis, sed à nobiliore acerui parte, nempe tritico. Et quàm non sequitur paleas propterea esse triticam, tam neq; ex illà Scripturà Synecdoche sequitur, impios Hypocritas in Ecclesià esse Sanctos.

10. Sic populus Israeliticus (inquit Lutherus) vocatur peculium Dei, cum tamen maior semper illius pars Diaboli, minor Dei fuerit.

11. Eadem ratio est, cum Paulus Galatas, aliasq; ciuitates Ecclesias Dei nominat, imò Sanctificatos in Christo Corinthios nominat, inter quos tamen erant fornicatores, quales non inter gentes, quibus certè nec titulus Ecclesie propriè sic dicta, nec sanctitatis elogium competit, 1. Cor. 1. & 5.

12. His addo, quòd ipse Antichristus Filius perditionis & Homo peccati, qui aduersatur & extollitur supra omne, quod dicitur Deus, 2. Thess. 2. dicitur sedere seu regnare in ipso Templo Dei, hoc est in Ecclesià.

13. Quid verò est absurdius, quàm ipsum Antichristum membrum Ecclesie dicere? & tamen Templum illud, in quo sedem suam obtenuit, erat, Homo ille perditus, DE I templum dicitur, certè non nisi propter veras veræ Ecclesie reliquias, quas etiam sub indio Antichristi regno Deus non sinit intercedere.

14. Quid? quòd ipse Paulus suo tempore scribens passim ad Ecclesias & ciuitates conuersas, vocarit eas Sanctas & sanctificatas, cum eodem teste tamen in ys ium modo Antichristus mysterium iniquitatis operaretur, 2. Thess. 2. Quòd si ergò ille Ecclesia sancta dici potuerunt, in quibus ipsi Antichristi regnare ceperunt, ipsi verò Antichristi sancti non fuerunt, manifestum est, & sanctitatem Eccle-



Ecclesie tributam, ex aequo non competere omnibus vocatis promiscue & Malos Bonis admixtos semper fuisse.

15. Id quod valere etiam volumus de Ecclesia Romana, utpote qua vera sit Antichristi Romani sedes, in qua etiam hodie & superioribus seculis vera & viva Ecclesia membra esse & fuisse nemo negat; idq. tum in Infantibus, tum in multis martyribus à Romana meretrice interfectis Apoc. 17. tum in multis in ipso mortis articulo, ope S. Sancti conuersis conspicuum est, ut precedenti Disputatione diximus.

Bellar. lib. 3.  
cap. 13. de  
Rom. Pont.

16. Nec est quòd hic triumphum ante victoriam Iesuita canant, nimirum Romam esse verum Dei Templum, & defecturos ab Ecclesia vera, qui ab Ecclesia Romana defecerint, utpote, quòd (ex Hypothesi) Pontifex sit Antichristus, & sedeat. Roma in Templo Dei: Nam Romana Ecclesia dicitur Templum Dei, synecdochica illa locutione, quam supra explicauimus, nimirum quatenus sub Ecclesia Romana est verum DEI Templum, hoc est, vera & inuisibilis Ecclesia.

17. Dicitur igitur Romana Ecclesia Dei templum, non quatenus Romana est, aut quatenus constat ex Pontifice Episcopis & Clericis, sed quatenus sunt in ea adhuc aliqui, qui non sint fornicati cum illa meretrice Babylonica.

18. Id quod Romanenses commune habent cum Iudæis, qui clamabant: Templum Domini, Templum Domini, Iere. 7. Item & cum Phariseis & Scribis, de quibus Christus ipse inquit, quòd sedeant in Cathedra Moysis, Matth. 23. ita nimirum (Chrysostomo autore) ut Cathedra non faciat sacerdotem, nec locus hominem sanctificet; unde sicut nec Iudæi in Templo Domini, nec Pharisei ex Cathedra Moysis, sic nec Romanenses ex Templo Dei quicquam facti sunt meliores aut sanctiores.

19. Imò



19. Imò sunt hi in Ecclesia, sicut palea in aceruo per ved-  
tilabrum separanda, & comburenda igni, Matth. 3. Luc. 3.  
Et sicuti Nuptialis ille non habens vestem nuptialem, ideoq;  
in tenebras mittendus, Matth. 22.

20. Vnde liquidò satis patet, quomodo Pontifex, reliqui-  
que impij & Hypocrite sint in Ecclesia, & quomodo Eccle-  
sia sancta sit, & quomodo sponsa decora & immaculata,  
contra Donatistas & Catharos, qui Malos Ecclesia admi-  
xtos contra S. Scripturam negabant, & hos titulos ex aequo  
ad omnes trahebant vocatos.

21. Quia verò, ut iam ostendimus, Ecclesia in hoc mun-  
do semper admixti sunt Hypocrite, quin sepe ij quoq;, qui  
cultum Dei tractant, Verbum predicant & Sacramenta  
dispensant, tales sunt, queritur, sitne Ministerium verbi &  
Sacramentorum efficax, etiam si per Malos tractetur &  
exhibeatur, & num eo nobis uti liceat.

¶

22. Vbi rectè cum Augustana Confessione respondemus,  
imò licere nobis uti Sacramentis, quamdiu Sacramenta ab  
ijs relinquuntur esse Sacramenta: nam si secundum essen-  
tiales partes corrumpantur, non amplius sunt Sacramen-  
ta, sed Sacramentorum rudera.

23. Sic qui sub iugo Pontificio superioribus seculis fue-  
runt, rectè uti potuerunt Baptismo Pontificiorum, ut quòd  
Baptismum quidem Traditionibus quibusdam conspurca-  
uerint, ita tamen, ut per eas essentialia sacramenti illius  
non corruperint.

24. De Cena Dominica alia est ratio, quia illius Essen-  
tialia per Antichristianam Tyrannidem tandem corrupta  
sunt, unde maiores nostri qui in Papatu sacramento cæna  
mutilo vsi sunt, excusantur in tantum, non in totum, modò  
in merito Christi & fide finaliter sint piè mortui.

25. Nostri tempotis hac luce, aliud accedit, cur ab illa  
Ecclesia malignantium exire debeamus, nec illorum Sacra-  
mentis



mentis uti: Primò quidem abstinere ab illorum Baptismo debemus, ne tanquam per tesseram hanc & notam Confessionis nostræ cum meretrice fornicemur, sed ab ea aperit nos separemus. Nec Cæna Domini apud illos uti fas est, tum propter eandem causam, tum quia corruptela & mutilatio illius Sacramenti verbo Dei in lucem tracta est.

26. Per se igitur sunt Sacramenta & Verbum propter ordinationem & mandatum Christi efficacia, nec incredulitas hominum fidem Dei euacuat, Rom. 3. hinc quo ad verbum & sacramenta essentialiter non corrumpuntur, nihil eorum efficacia decedit per hypocrisin administrantium.

27. Quod tantum abest, ut patrocinetur Beza, dicenti se malle à Diabolo in ministerio sedente baptizari, quàm à fœmina Christiana, ut etiam illius opinionem refutet: expressè enim Confessio nostræ loquitur de vocatis in Ecclesia. Ad Diabolum autem nec in æternum pertinet Ius vocationis, nec in æternum Ecclesia sic (ut Hypocrita) admixtus esse poterit.

28. Quod si verò se hypotheticè loqui asserant, nempe, si Diabolus sic in ministerio sederet, ut simul esset in Numero vocatorum, tum ridiculam incurrunt contradictionem: quàm enim impossibile est, ut qui Diabolus est, non sit Diabolus, tam impossibile quoque est Diabolum ullo modo, in numero Vocatorum concipi.

29. Et potius argumentamur hinc contra illos: quòd quia Sacramenta non amittant efficaciam, etiam si per Malos exhibeantur, multò minus Baptismum amissurum efficaciam suam, si per fœminam Christianam administratur tempore necessitatis, ut quod hinc non sit Iudæus, nec Græcus, nec Mas, nec Fœmina, affirmante D. Apostolo Paulo Gal. 3.

Et tantum de octavo Articulo.



AB 61 430

ULB Halle

3

002 694 131




SK











76  
Disputatio XIII.  
DE MALIS ET HY-  
POCRITIS ECCLE-  
SIÆ ADMIXTIS.

EX OCTAVO ARTICULO CON-  
fessionis Augustanæ.

*Cuius subiectas Positiones,*

CVM DIVINÆ GRATIÆ ASPIRA-  
TIONE, PRAESIDE ÆGIDIO HVNNIO, SS.

Theologiæ Doctore & Professore, in Collegio  
Disputationum Theologicarum 7. Kal.

Februa. tueri conabitur,

M. DANIEL CRAMER VS.



WITTEBERGAE,

Excudebat Vidua Matthæi

Velaci, Anno M. D. XCIIII.

